UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Expedita Juris Divini, Natvralis, Et Ecclesiastici Moralis Expositio

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1665

An, quando exponitur unica causa, eaque falsa? paragrapho 3.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40132

Visual Library

la apparet Pontificis voluntas in reſcripto, per quam poſſimus colligere, ipſum diſpenſaſſe in impedimento, quod non fuit ipſi propoſitum: Excipi tamen hîc poteſt, quod ſupra diximus in unico illo caſu, quando illud unum impedimentum involvebatur *a* in alio.

a Sup. c. 9. §. 3. n. 9.

2. Neque dicas, Pontificem, ſi ſciviſſet, diſpenſaſſet, nè id dicas, inquam, quia conditio nihil ponit in eſſe, niſi purificetur. Cum ergo ea in hoc caſu purificata non ſit, quia Pontifex impedimentum verum nunquam cognovit, ideò remanet, impedimento verò non fuiſſe diſpenſatum.

3. Diana *b* putat, executorem poſſe validè expedire diſpenſationem conſanguinitatis, licet in Brevi dicatur, Affinitatis, ſed lege Conradum, *c* qui rectè illum impugnat. Portella *d* item eſt ex parte Dianæ, citatque pro ſe Bonacinam, ſed ſui dicti rationem non affert.

b Dian. p. p. t. 10. de legib. reſ. 36. V. Nota et & p. 8. tr. 3. reſ. 64. fine.
c Conr. l. c.
d Portell. in Reſp. mor. T. 2. caſu 49. num. 2.

§. II.

Quando falſo proponitur gradus conjunctionis, hoc eſt, unus pro alio.

1. SEd quid, ſi error, ſeu falſitas contingeret circa gradus ejuſdem conjunctionis?

Reſpondeo cum neceſſaria diſtinctione; Si enim pro gradu proximiore expreſſiſti remotiorem, ut, ſi eras in ſecundo conſanguinitatis, expreſſiſti Tertium, invalida *e* erit diſpenſatio; ſic enim manifeſtè Pontifex non cognoſceret quantitatem gratiæ, quam concederet. At, ſi contra, pro remotiore expreſſiſti proximiorem, etiam advertenter, ut, ſi, cum eſſes in tertio, expoſuiſti, eſſe in ſecundo, probabile eſt, valere diſpenſationem, quia cum Pontifex intendat, tollere impedimentum, ſatis videtur tollere, dum illud tollit in eo ſtrictiori gradu, in quo ſine dubio imbibitur, qui minus ſtrictus eſt. Quarè in hoc non ſequimur Conradum, *g* ſentientem oppoſitum, licet, ut fatear, probabiliter.

e Sanc. l. c. nu. 2.
f Sanc. l. c. n. 17.
g Conrad. l. c. n. 94.

§. III.

Quando proponitur unica cauſa falſa.

1. SI unica cauſa diſpenſandi proponatur Pontifici, atque hæc ſit uſquequaque falſa, corruit omnino diſpenſatio; cum enim diſpenſatio ſemper detur ex cauſa, ſi hæc falſa ſit, cum tunc nulla ſit, diſpenſatio non datur.

2. Dixi (uſquequaque falſa) nam poſſet eſſe ipſa falſa, ſed motivum, quod apparet in illa poſſet eſſe verum ex alia cauſa non propoſita. Proponis v. g. ut Pontifex diſpenſet ad Matrimonium inter Antonium, & Antoniam, quia ſecus hæc ob carentiam dotis remaneret innupta; falſum autem eſt, eam carere dote; verum tamen eſt, eam remanſuram innuptam, ſed ex alia cauſa, quæ non fuit propoſita, nempè v. g. ex deformitate, ex grandæva ætate, ex infamia contra ipſam exorta, vel ex ſimili alio defectu. Tunc ergo validanè eſt diſpenſatio.

3. Reſpondeo. Communis, & in praxi excipienda *h* opinio eſt, eſſe invalidam, etiam ſi per inculpatum errorem falſitas hæc contingeret. Ratio eſt, quia Pontifex movetur ſolùm ex cauſa propoſita, & ex illo motivo, quod relationem habet ad dictam propoſitam cauſam; non ergo ab illo motivo relato ad cauſam non propoſitam.

4. Confirmo Primò, à poſteriori ſatis efficaciter. Nam, cur tanta Doctorum, & Pontificum diligentia in proponendis, examinandis, & approbandis cauſis? Sanè ſufficeret in ſupplicationibus ſic ſemper ponere: *Supplicatur Sanctiſſimus Pontifex, ut diſpenſet cum Antonia, ne innupta remaneat*, ut certè, ex aliqua tandem cauſa, remaneret. Confirmo Secundò, ex dictis in hanc eandem rem *i* ſupra.

Quicquid igitur dicat Leander, *k* & Martinus Sancti Joſeph apud Dianam valdè, ut videtur, ad hanc ſententiam propendentem, qui citant etiam Sanc. *l* alio in loco ab eo, quem modo ipſe idem, & modo nos citavimus pro noſtra ſententia. Sed certè, vel hic locus eſt bene explicandus, ne ſibi Sanchez contradicat, vel ipſe à nobis hac in re, ejus pace, non eſt approbandus.

h Sanc. ... ſum l. 4. 47. n. 17. Gutier. ap. Dian. mox cit. Conrad. prax. ſ. 37. Ma. An. in ſum ... ... reſ. 352. 11. Barb. Coll. ... dilecta ... reſcrip. ... 6. alieg. ... ipſis citat.
i Sup. c. ... §. 2. n. ...
k Lean. Mart. ap. Dia. p. 10. tr. 11. Reſ. 42.
l Sanc. l. ... matr. d. ... n. 29.

§. IV.